



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt VII. De legitima præscriptione quoad Missas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

vel quid simile facere Capellano permittimus, quo impeditur Sacrificium, licet, si id prævideat, adhuc posse permittimus; nonquam tamen concedimus, id posse intendere. Ratio est, quia dum solum prævidet, utitur iure suæ libertatis à Fundatore verisimiliter non ablato, at dum intendit, facit contra pactum cum eodem Fundatore celebratum, qui nunquam id concessit, immò negavit: si quidem dum eum obligavit ad sacrificandum, obligavit ad volendum Sacrificium, non vero permisit illud nolle, nollet autem, si comederet nociva, ut impeditus morbo, Sacrum omittere cogeretur.

§. III. An Capellanus impedimentum violationis Ecclesiæ tollere teneatur.

Vbi.

Traduntur nonnulla de Violatione loci Sacri, ejusdemque Reconciliatione.

Antequam id decernam: Præmitto Primo, quod in Ecclesiâ quantumcumque consecrata, si per aliquod ex sequentibus delictis, (& quidem, satis probabiliter, ex Suarez de Sacram. d. 8. s. 4. §. His positis Fagund. aliisque relatis à March. tract. 3. p. 3. cap. 10. n. 10. non secretis, sed publicis) violata sit, hoc est sive per homicidium, sive per sanguinis, seminisve effusionem, sive per sepulturam infidelis, quamvis infantis, sive per sepulturam excommunicati, qui tamen post Concilium Constantiense nominatim denuntiatus, vel publicus Clerici percussor fuerit; non potest licite, & sine mortali, sacrificari, nisi prius reconcilietur, quamvis, sic sacrificans ex Suar. loc. cit. §. Sed querit Sà, P. Eccl. num. 10. Rodriq. tom. 1. q. reg. 16. art. 6. ex cap. qui, de sent. excomm. in 6. nec suspensus maneat, nec irregularis, vel nisi in casu necessitatis de licentia Episcopi. Talem fuisse Panormi indicavit P. Bernardinus Piccinus Societatis Iesv, Theologus, Doctrina, & Sanctitate insignis, cum Ecclesiâ Cathedralis mane ipso die Pentecostes, in quem incidit festum Sanctæ Christiænæ Patronæ Civitatis, fuisset, per effusionem sanguinis, violata. Immo necessitas tanta posset esse, ut si ad Episcopum recursus non pateret, ejus licentia non esset necessaria; ex Suarez, & Fagund. apud March. de ord. tom. 4. p. 3. cap. 10. n. 2. Talem indicat Delugo mox citandus, si in festo Populus aliam Ecclesiâ non haberet, in qua Missam posset audire.

Hæc autem, & huc pertinentia, cum passim à Doctores, & quidem latissime, tractentur, non est cur & nos inculcemus. Lege Joannem Delugo de Eccl. d. 20. s. 2. à n. 2. qui fere universa, breviter, & cordate complectitur. Lege item Marchinum loc. cit. authorèque ab ipso citatos. Lege denique infra lib. 2. cap. 7. §. 5. ubi dicemus, quid faciet Sacerdos, si incepta Missa, contingat violari Ecclesiâ.

2. Quoad Reconciliationem recolendum est, quod Ecclesiâ ubi Sacrificium Missæ celebratur, vel est consecrata, vel benedicta, vel solum ab Episcopo, seu alio potestatem habente, ad divina officia deputata, ut ex supra dictis, de loco Sacrificij, patet. Jam, si solum sit deputata, violarique contigerit, reconciliatione probabiliter non indigere, docent Navarr. Henric. Sotus apud Delugo citatum n. 59. alique, quibus adde Suar. de Sacram. d. 18. s. 4. §. Quinto violatur, si licet contrarium videatur docere tom. 1. de Relig. tract. 2. cap. 9. n. 2. & 3. id quod nobis satis est. Si sit benedicta, quilibet Sacerdos simplex, aqua per ipsum simpliciter benedicta, potest illam: formula petita à Rituali Romano reconciliare. Ita Layman, lib. 3. tract. 5. cap. 1. num. 12. alique, colligiturque ex e. ultim. de consecrat. Eccl. id quod supra diximus lib. 2. cap. 7. §. 5. Quod si aliqui Religiosi facultatem obtinuerunt à Summo Pontifice, Ecclesias suas solum benedictas, reconciliandi, id, vel factum est, ad scrupulos eximendos, vel quia contrariam sententiam

sequebantur. Denique si sit Ecclesiâ consecrata, & debere ab Episcopo, aqua, per ipsum, cum benedictione, & cinere benedicta reconciliari, dubium non est. nec dubium mihi est, Episcopum ejusmodi facultatem delegare non posse simplici Sacerdoti, atque deo Vicario suo, qui non sit Prælati. Ita Delugo de Eccl. d. 20. s. 4. n. 67. Aliique (quidquid dicunt Rodriq. Sà, Silvius apud Dianam p. 2. tract. Missæ, n. 1. Ratio est, quia præter id, quod supra lib. 1. cap. 2. in simili diximus, sic clarè deciditur, cap. Apud, in Ecclesiâ. Posse denique ex delegatione Summi Pontificis à Mendicantibus, & participantibus cum illis, quibusdam conditionibus, ejusmodi consecrationes reconciliari, habes in Bulla Leonis X. in Rodriq. Bulla 6. Leon. X. & apud Portellam in del. Eccl. in Add. n. 1. Rodriq. tom. 1. quest. Reg. 19. art. 4. canon. Tamburin. de jur. Abb. disp. 18. quest. 3. n. 4. Ratio ipso, forte, in Ecclesiâ violata, petito, an reconciliari potest, dictum est lib. 1. cap. 1. §. 4. n. 3. His positis: facile responderi potest ad prætam in titulo Dubitationem. Dico enim Capellani seu quemcumque obligatum ad Missam hodie, in tali loco gubernandum, si contingat cum viâ Reconciliatio dependeat ab ipso (secus si non sit) quia potest v. g. habere Rituale Romanum, ubi præscriptum est, quod si contingat, ad reconciliandam Ecclesiâ. Ratio est, quia, ut diximus lib. 2. cap. 7. §. 5. n. 2. sine, ad Sacrum privatum non pertinet Ecclesiâ reconciliari, quia nunc supponimus eum teneri ex stipendio, vel alio modo, iustitia requirit, ut impedimentum violationis, quod tollere ipse potest, tollat, sicuti, cap. num. 9. de aliis similibus, impedimentis directum est.

Hæc notasse sufficiat, nam ex his ita decidantur, les casus non difficili negotio decidentur.

CAPUT VII.

De legitima præscriptione quondam Missæ.

Quandom Sacerdos, vel Ecclesiâ contra ea Missarum præscribit?

1. Si concurrant conditiones requiritæ à iure ad præscribendum, præscribi etiam contra Missam. Ratio est, quia universaliter potest legitime præscribi contra ius alterius latissimè, nec unquam in proprio facta est in iure, quod non curat præscribere onera Missarum, seu contra voluntatem Defuncti, cum quibus tamen, quia reclamare non possunt, agendum, ac si essent absentes, contra quos longè tempus requiritur ad præscriptionem.

Hinc fit, ut Capellania, quæ in sui Fundatione onerata Missis quotidianis; nunc possit cum onere inveniri: atque adeo Capellani, seu Ecclesiæ, non obligari, (si dictæ conditiones legitimæ præscriptionis adsint) nisi ad hoc minus Missarum onus, nunc invenitur.

2. Conditiones autem sunt Possessio, Titulus, Tempus, Continuatio possessionis cum eadem fide bona. Tempus lege præscriptum, de quibus passim Doctores. Lege Molinam tract. 2. de inst. & iure d. 60. Corneum de Leg. Possessor. 2. p. cap. 5. aliosque. Cum autem aliusquis præscribitur inter absentes, quam præsentibus, idcirco ad bona quoad bona stabilia, quam mobilia: idcirco ad bona præscribendum, cum sit inter absentes, ut modo præscribimus, & quidem, ut supponimus, stabile & perpetuum requiritur cum titulo viginti annorum decursum, vel lo triginta, l. male fidei, cap. de Præscript. longi temporis vel 20. annuor. Inst. de usuc. §. 1. cap. de Quarta de Præscript. & communiter, quæ omnia nobis satis sit intima.

3. Alicubi, vel non adest, vel non est accepta

CAPVT VIII.

An statim peracta Missa, comedere, exorere, aromata, in ore ruminari liceat?

Et

An novum, vel majus peccatum sit illud, quod ipsa die, qua Sacrum facit, committit Sacerdos?

Et

Denique de precibus, & de lotione manuum post Sacrificium: Remissivè.

Dico primo. Secundo ex his, à me actum satis superè que est in Opusculo de expedienda Communione, cap. 3. per totum. De tertio, quoad preces, egi per occasionem breviter lib. 1. c. 7. §. 1. n. 1. quoad lotionem verò ib. §. 7. quare cum ea hic exseribere, operam esset perdere; illuc Lectorem meum remitto libens.

CAPVT IX.

De vino assumendo à Sacerdote post assumptum Sanctissimum Sanguinem.

Finem huic libro imponet resolutio circa vinum quod in fine Sacrificij sumit in Missa Sacerdos. Is enim post assumptas sacras species, imponere vinum debet in Calice, & sumere, atque hæc vocatur in Rubricis, Purificatio; deinde vero vino, & aqua digitos semper Calicem ablueret, eaque patieret assumere, quæ proprio vocabulo appellatur Ablutio. De utraque sigillatim.

2. Dico primo. Is, qui in Ablutione solum adhibet aquam, condemnandus de culpa non est. Ratio prima esse potest, quia passim absque scrupulo sic agunt nonnulli laudatæ virtutis Sacerdotes, aîntque id prodesse ad abstergendum odorem vini ab ore celebrantis, ad digitos eodem odore non laiciendos, ad Purificatorij munditiam; & ut sunt non pauci plus debito delicatioribus ad temperandum illud modicum vini, quod non raro in Sacrificio generosum propinatur, assumpti stomacho penè isjuno. Secunda, quia hæc non est nisi Rubrica directiva, cum non appareat aliud fortius jus, nec ex se sit materia gravis. Immo quia inventio de vino adhibendo in Purificatione aliquid innui in Sacris Canonibus, quorum verba mox proferam, nihil autem de vino Ablutionis, conjecturam facio, de hoc Sacerdos Pontifices non valde laborasse. Tertia, quia cum Sanchez citando, adverte in Rubricis generalibus initio Missalis §. Quibus sumptis, sic haberi: Sacerdos porrigit Calicem Ministro, quo vinum fundente se purificat. Deinde vino & aqua abluit pollices, & indices super Calicem; At in Rubricis appositis in Canone post factam Communionem §. Abluit digitos, sic: Infundit parum vini quo se purificat: deinde abluit digitos, extergit, & sumit ablutionem. Vbi noto, de vino Purificationis utroque in loco, mentionem fieri de Ablutionis autem vino solum in uno, quasi significetur nequaquam esse sub magno rigore hoc posterius apponendum.

3. Dico Secundo. Ad Purificationem est omnino adhibendum vinum, non aqua. Ratio est, quia sic supponit ritè faciendum Sacer textus, Ex parte, de celebr. Miss. Respondemus, inquit Pontifex, quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum accepit Eucharistia Sacramentum, & quidem notat hic merito Gavantus in rubr. Miss. p. 2. c. 10. n. 4. lib. x. in hunc modum. Deceret ut vinum pro Purificatione Calicis infusum, esset ejusdem saltem quantitatis, quæ fuerunt prima species sanguinis, alioquin Sacerdos illud saltem intra Calicem circummagat, ut absumentur dictæ species. Monet de prædicta vini ad purificationem adhibenda quantitate Pins V. (in epist. ad Episc. Tarrat,) additque quod sumatur Ablutio per eandem partem

modi præscriptionis lex: ibi ergo tum in foro externo, tum interno, id fiat, quod in eodem foro servatur in cæcæ.

§. 11. Quandoquid onus Missæ præscribitur contra Sacerdotem, vel Ecclesiam?

In hac quæstione est distinguendum de Capellano titulo Capellanæ, vel Beneficij Missas celebrante, & de legatario, qui is est, cui à Testatore absolute (sine Episcopii autoritate) legatum aliquod, quantumvis perpetuum, pro celebrandis Missis relinquitur.

1. Contra Capellanum, seu Ecclesiam cui incumbit Capellanæ, vel Beneficij, Missarum onus, seu obligatio præscribitur tempore decem annorum, positis cæteris requisitis ad præscriptionem, §. præced. dictis. Ita Fraxinde oblig. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §. 17. n. 1. Quare si per decem annos Missa quotidiana celebrata est pro tali Capellania licet nunc inveniat, quod, Fundator solam instituerit hebdomadariam, quotidiana erit celebranda. Ratio esse potest, quia hoc perpetuum onus est, veluti jus Testatoris defuncti circa Missas, jura autem, & actiones in hac materia præscriptionis, ex Lessio lib. 2. c. 6. n. 2. §. fin. aliisque, computantur inter bona immobilia quæ inter præsentem, ut est in casu nostro, quia Capellanus præsens est decem, pro præscribunt.

2. Contra legatarium vero obligatio Missarum præscribitur tempore triginta annorum. Ratio est, quia legata contra legatarium præscribunt spatio triginta annorum. Ita Lessio lib. 2. cap. 6. n. 39. ex l. ultima, cap. Communia, de legat. hoc autem legatum est, non Capellanæ, ut supponimus.

4. Dices, quid si legatum sit apud Monasterium Religiosorum, quibus concessum est, ne contra ipsos currat præscriptio minor, quam sexaginta annorum? Respondet aliquos putare etiam contra Religiosos sufficere spatum triginta annorum, quia dicta concessio est tantum de bonis, personis, & locis Religiosorum: at jura, & actiones in corpore, quales est id, de quo disputamus, nec sunt bona, nec personæ, nec loca. Ita Pellizzar. Man. Reg. tom. 1. tract. 5. cap. 9. n. 93.

5. Sed profecto ex Lessio modo dixi nomine bonorum immobilium venire etiam jura, & actiones: quare posset quis contendere contra hos privilegiatos requiri in casu nostro annos sexaginta, quia jus Missarum est bonum immobile.

6. Hæcenus ita disputatum sit: nam mihi unum dicendum superest, quo videtur probari, nunquam tale jus Missarum posse præscribere contra Sacerdotem. Docent communiter Doctores l. finali, cap. de longi temporis præscriptione, Lessius loc. cit. n. 2. §. 3. aliique passim, servitutem personalem, quæ debetur personæ, à persona nullo tempore præscribi posse, & ratio est, quia æquitas non patitur hominem liberum, fieri servum ex quacunque causa. Id de veluti integra servitute: sed certe eadem videtur ratio de servitute partiali, quia enim se habet totum ad totum, sicut pars ad partem: quare si per multos annos Petrus v. g. servivisset Paulo per aliquod tempus in aliquo opere, illum v. g. associasset singulis festis diebus ad Ecclesiam, cum bona fide, seu errore utriusque quod ad id per contractum teneretur Petrus, posset dictus Petrus adveniens nullum fuisse contractum, eximere se à tali servitute, quia servitus personalis nunquam præscribitur. Cum ergo Capellanus Beneficiatus, vel legatarius prædicti, Missas illas profundatore celebrare soliti sint, creditur se ad illas omnes teneri: si advertant se verè ex Fundatione ad tot non obligari, videntur quocumque tempore se posse eximere à tali servitute, & illas solum celebrare, ad quas verè ex titulo Capellanæ, Beneficij, vel legati obligantur; onus enim hoc non videtur esse aliud jus, nisi servitus quædam debita à Sacerdote ipsi Fundatori Missarum, sicut illa associatio Petri circa personam Pauli, quæ servitus ut dictum est, nunquam præscribitur.